quid singula describere necesse? talem ante opera se exhibuit fuisse, qualem in operibus postea
loqui. Audiamus mentem Mellifluui viri de morum modestia de gradu 12 humilitatis.
Si videris monachum, de quo prius bene sentiebas, ubicunque stat, ambulat, sedet, oculis
incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas: e motu exterioris hominis
interiorem immutatum agnoscas. Vir quippe perversus annuit oculo, terit pede, digito loquitur,
et ex insolenti corporis motu, recens animi morbus deprehenditur. Quantum ipse Melli-
fluus Pater hominem suum exteriorem circumciderit, patet quoad circa oculos, et ex ejus vita.
Legitur enim in lib. 1. cap. 4. quod cum annum integrum in cella Novitiorum exegerat, sicut ut
exiens inde ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem. multo tempore frequentaverat
intrans et exiens domum ecclesiae, cum in ejus capite, ubi tres erant fenestrae, unam tantum
arbitrabatur. Et lib. 3. cap. 1. iuxta lacum Lausannensem totius diei itinere pergens penitus eum non
vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos ubi ille lacus
esset. Universim de ejus exteriore compositione sic canit Sacer ordo. Omnia sibi viri sancti
habitus corporis sui composita et uno suo modo agebat, ut nihil appareret in eo, quod
posset offendere intuentes.

Prosequitur Sanctus Legislator jam Epilogum hujus capitis. quod his omnibus humilitatis gradibus
ascensis monachus mox ad charitatem Dei perveniet, quae perfecta foras mittit timorem,
per quam universa, quae prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut
naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non jam timore gehennae, sed amore Christi
et consuetudine bona, et delectatione virtutum, quae Dominus jam in operario suo mundo a
vitiis et peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonstrare. En, quicunque domini sorte
vocatus es ad discipulatum S. hujus Patris scalam perfectionis, ad quam ascendere debes, usque
dum pervenias ad supremum Numen, innixum scalae hujus cacumini, et si ideo venisti
ad Religionem Sanctam, ut hanc scalam ascendas (: si vero sine hac intentione intrasti vae
tibi, imo etiam vae Religioni in te, et propter te :) incipe vel hodie tangere scalam istam, et
spera promissionem Sancti patris, quod si aliquamdiu te exercueris assidue in exercitio Sanctae
humiliationis, iuxta gradum 5. 4. et 12mum, servies denique Deo cum illa facilitate,
delectatione et charitate, quae foras mittit timorem servilem. et qui antea omnia cum timore
poenae, et nausea agebas, incipies in gaudio Spiritus Sancti Divino servitio sic assuescere, ut
bona consuetudo transeat in alteram naturam. e contrario si negligens fueris, audi quod dicat
Sanctus Hier.: in vita S. Pauli. Vidit Jacob scalam usque ad coelum tendentem, in qua